



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Lvndensi Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

bem de Popillio, plebem de Pitellio, plebem de Furfalo, plebem de Celle, plebem de Calloria, plebem de Vinaziano, plebem de Massa, plebem de Creti, plebem de Lamporecello, plebem de Limite, plebem de Artimino, plebem de Seiano, plebem de Quarrrata, plebem de Montemagno, plebem de Tobiano, plebem sancti Hippolyti, plebem sancti Pauli, plebem de Colonica, in Prato plebem sancti Stephani. Ad hæc adientes sancimus ut occasione privilegij quod Pratenses à Romana Ecclesia se habere congaudent, nulla injuria vel diminutio aut inobedientia matri sua Pistoriensi Ecclesiae seu cuilibet supradictarum plebium, videlicet sancti Pauli, sancti Hippolyti, sancti Petri de Aiolo, sancti Iuli, & de Colonica, vel alicui in aliquo inferatur, nec Pratensis Ecclesiae vel Clerici ipsius loci eodem scripto contra jurisdictionem vel dignitatem aut obedientiam Ecclesiae seu Episcopi Pistoriensis utantur, sed quemadmodum prædecessorum nostrorum Urbani, Paschalis, Innocentij, & Alexandri, atque aliorum, seu etiam bone memorie Petri & Ildebrandi Pistoriensium Episcoporum tempore extitit, ita iuncta Pratensis Ecclesia absque aliqua diminutione potestatis aut dignitatis Pistoriensis Ecclesiae vel Episcopi, eis in omnibus & per omnia obediens & subiecta permaneat. Prohibemus insuper ne infra episcopatum tuum ullus Ecclesiæ vel oratorium sine assensu tuo vel successorum tuorum de novo construere audeat. Salvis tamen privilegiis Romana Ecclesiae. Liceat quoque tibi & successoribus tuis baptismales Ecclesiæ in eodem dioecesi constituere, si necessitas visa fuerit imminere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum licet præfataam Pistoriensim Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra & illibata serventur tam tuis quam tuorum fratrum & pauperum usibus profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiasticae regulariæ persona hanc nostra constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundò tertiove commonitioni nisi reatum suum congrua satisfactione corixerit, potestatis honorisque sui dignitate caret, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à facatissimo corpore ac sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena-

fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus &c. usque in finem. Amen. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Iohannis sanctæ Mariæ in Coenmidin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellerij xiv. Kal. Novembri, Indicione xii. incarnationis dominice anno M C C V I X. pontificatus vero Domini Innocentij Papæ II. anno duodecimo.

## LVNDENSI ARCHIEPISCOPO.

**E**x tuarum perpendimus serie litterarum quod cum quedam terra quæ Fialanda dicitur operante patre luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit, nuper quorundam nobilium mediante sollicitudine ad fidem conversa sit Christianam, in qua modò puer Iesus proficit sapientia & ætate, Episcopo ejusdem terræ, postquam in propagatione catholica fidei cursum suum ibidem legitimè consummavit, ad cœlestis remunerationis bravium evocato, nullus est ei haecenus substitutus. Nam cum proper novellam plantationem & ejusdem regionis hominum pertinaciam ac loci etiam intemperiem electus ibidem non ad honorem assumptus sed expositus martyrio reputetur, nullus ferè ad illius regimen sedis aspirat nisi qui divini verbi zelo succensus pati exoptat pro Christi nomine cruciatus. Verum cùm vir quidam moribus, ut afferis, & ætate maturus & scientia & virtutibus redimitus, qui propter verbum Dei, quod populo illi aliquando predicavit, ab eis plura jam sustinuit piacula passionum, ad illius Ecclesiæ regimen fit vocatus, ut sic præstaspirans ad illud quod magis consequatur martyrium quam honorem, ipsi, ex eo quod non est de legitimo matrimonio natus, sine licentia nostra munus consecrationis impendere noluisti. Cùm igitur urgens exposcat necessitas & evidens utilitas id requirat, nobis humiliter supplicasti ut cum eo dispensare misericorditer dignarerum. Nos igitur tuis postulationibus inclinati, per apostolica scripta mandamus quatenus si est ita, cum eo vice nostra dispenses, injungens eidem ut, sicut incepit, eandem novellam plantationem informet verbo pariter & exemplo & insistere studeat diligenter ad extirpandum paganatis errorum & terminos Christianæ fidei dilataros, quia licet omnes virtutes ad bravium, sola tamen perseverantia coronatur. Datum Laterani iii. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno duodecimo.

Tom. II.

Zz

Epif. 102.  
De conversione  
ne Fialandæ.